

strationem non conficiunt, nec nostram demonstrationem evertunt.

- 2) Supponunt falsa esse, quæ de Christo ejusque discipulis in N. T. narrantur, cum tamen scriptores Talmudici, Tacitus, aliqui idololatræ contra istos testimonium ferant.
- 3) Absurdissimum est, tot martyres priorum seculorum viros vitæ morumque irreprehensibilium ob fraudes quosdam mortem perpeslos esse, cum nihil inde emolumenti caperent.
- 4) V. T. ubique respicit ad N. & N. T. ad V.; itaque se mutuo confirmant, concessaque unius divinitate, etiam alterum pro divino habendum est.

§. X. Expositis refutatisque hypothesibus, ipsam dignitatem Scripturæ demonstrandam suscipimus. Initium autem facimus a demonstratione historicō-morali, quæ fidem solum humanam gignit: inde progrediemur ad Theologicam, quæ fidem divinam parit.

In methodo convertendi utendum est demonstratiōne Theologica; in methodo autem contradicentes convincendi, demonstratione utimur historica.

Dignitatem Scripturæ demonstrarunt Origenes contra Celsum, Cyrillus contra Julianum Apostatam. Conf. etiam Grotius *de veritate Religionis Christianæ Lib. IV.* Mornæus *de veritate Religionis Christianæ,* & Huetius in *Demonstratio Evangelica.*

§. XI. Historico-moralis demonstratio hæc formatur a posteriori ex factis certissimis & notioribus communibus. Itaque ante omnia hæc præmittenda sunt.

I) Libri